



**Cursus theologici iuxta scholasticam huius temporis
Societatis Jesu methodum tomus ...**

Amico, Francesco

Duaci, 1640

VII. An relationes Diuinæ existant existentia relatiua, ratione distincta ab
existentia absoluta naturæ?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82000)

solum per expressiorem conceptum, & aduentum eiusdem perfectionis clarius & expressius concepta. In quo sensu non implicat vt idem sit explicitè determinabile, & implicitè determinatum.

154. Ad Quartum. Distinguo maiorem & minorem: est relatio se tota respectiua, natura se tota absoluta secundum rationem dumtaxat explicitam, concedo; secundum rationem explicitam & implicitam simul, nego: sic enim tam relatio est respectiua & absoluta, quam natura absoluta & respectiua simul.

155. Ad Quintum respondeo, ad constitutionem secundum rationem sufficere duo distincta secundum rationem tantum explicitam. Ad confirmationem nego sequelam. Etenim, vt persona non dicatur constitui ex persona, sufficit vt non constituatur ex relatione, explicitè importante vtrumque. Nam constitutio per rationem attenditur tantum secundum rationes explicitas constituentis, & constituibilis.

156. Dices. Si sola distinctio impliciti, & expliciti sufficit ad constitutionem rationis, ad eandem sufficeret distinctio definitionis & definiti. Respondeo negando sequelam. Quoniam ad constitutionem requiritur, vt constituens non sit per modum explicantis ipsum constitutum, cuiusmodi est definitio respectu definiti, sed per modum aduenientis; nam hoc importat conceptus ipse constituentis.

157. Ad sextum. Negandum est, quoad rem significatam maiorem distinctionem importare abstractum, quam concretum in Deo, sed tantum in modo significandi: quia concretum importat per modum habentis, quod abstractum dicit per modum inclusi. Ob summam quippe actualitatem & simplicitatem, idem importat in Deo abstractum, & concretum quoad rem ipsam significatam, quoad modum autem significandi concretum importat æque primò vtramque rationem; abstractum verò explicitè importat vnā rationem, implicitè verò aliam.

158. Ad septimum. Eadem relatio diuina conuenit & differt secundum eandem rationem explicitè conceptam, nego; conuenit secundum rationem implicitam, & differt secundum explicitam, concedo. Hæc autem nulla est implicancia, vt res summè illimitata, & simplicissima fundare possit rationē identitatis, & distinctionis secundum rationes formales & explicitas, virtualiter diuersas.

159. Ad octauum. Concedo valere primam propositionem: nego valere secundam. Ratio discriminis est, quia quando verbum prædicatur de subiecto, facit sensum expressum & formalem, & solum denotatur conuenire illi secundum rationem explicitè significatam; secus quando prædicatur nomen substantiuum. Exempli causa, *Homo est animal*, vera est propositio, quia prædicatum est nomen substantiuum. Contra verò, *Homo animalitate intelligit*, falsa est propositio, quia reddit sensum formalem & explicitum, & si-

gnificat, ipsum intelligere conuenire homini ratione animalitatis vt explicitè significatæ, talis enim propositio æquiualeat reduplicatiuæ, quæ solum reduplicat rationem explicitam, ratione cuius tantum denotatur conuenire prædicatum subiecto. Vnde in eo syllogismo neganda est consequentia; variatur enim sensus implicitus in explicitum, vt in hoc syllogismo. *Homo est animal: Homo intelligit: ergo Homo animalitate intelligit*. Ad confirmationem neganda similiter est consequentia ob eandem rationem.

160. Ad nonum. Nego consequentiam. Etenim alia est ratio entis, alia est ratio animalitatis: & tamen ratio entis est de essentia animalitatis, & cuiuscunque alterius rationis realis. Ergo etiam si ratio essentiae sit alia secundum conceptum explicitum à ratione relationis, adhuc tamen non obstat, quin vna sit de implicito conceptu quidditatiuo alterius.

161. Ad decimum. Concedo absolutum non esse de essentia relatiui creati: nego autem non esse de essentia relatiui increati, ob summam illimitationem & simplicitatem. Ad confirmationem. Nego sequelam, quoniam absolutum importat conceptum præcisum à respectiui, quo pacto nequit absolutum prædicari de respectiui: sic enim affirmaretur, quod præcisus & explicitus conceptus absolutus, esset ipse præcisus & explicitus conceptus relatiuius.

SECTIO VII.

An Relationes diuinæ existant existentia relatiua ratione distincta ab existentia absoluta nature?

162. **P** R I M A sententia negat. Est Capreoli in 3. dist. 1. quæst. 1. art. 3. ad 2. contra secundam conclusionem, Caietani 1. p. quæst. 28. art. 2. §. *Corollarium est*, Ferrarientis 4. contra gentes cap. 26. §. *Attendendum tertio*, Egidij in 1. dist. 25. art. ultimo ad 2. Vasquez 1. p. disput. 126. Albertini corollario 9. ex predicamento Ad aliquid, Ruiz de Trin. disp. 15. sect. 3.

Capreolus.

Caietanus.

Ferrarientis.

Egidius.

Vasquez.

Albert.

Ruiz.

S. Thomas.

163. Probatur 1. Authoritate S. Doctoris, vbique docentis, in Deo esse vnum *Esse*, vnumque *subsistere* absolutum, quo diuinæ personæ omnes existunt & subsistunt; 1. p. quæst. 40. artic. 2. ad 2. 3. p. q. 17. artic. 2. ad 3. de potentia quæst. 2. art. 6. & quæst. 8. art. 2. ad 11. Vnde ferè omnes Thomistæ docent, diuinas relationes non addere ali-quod esse, vel subsistere, ne ratione quidem à natura distinctum, sed solam incommunicabilitatem, & distinctionem ab alia persona.

164. Secundò probatur ratione. Prima fit. Existetia absoluta naturæ est infinita & à parte rei identificata cum quauis relatione: ergo per eam sufficienter existere possunt omnes relationes. Ergo de facto per illam existunt.

Posterior

Posterior consequentia patet, quia quod potest esse, actu est in Deo. Prior probatur quia nulla est repugnantia, & maiorem ponit perfectionem in ipsa existentia absoluta naturæ.

165. SECUNDA ratio. Si relatio diuina haberet propriam existentiam relatiuam, sequeretur illam à parte rei distingui ab essentia. Nam quidditas relationis non est de essentia naturæ; ergo si haberet propriam existentiam, à parte rei distingueretur à natura; siquidem ad distinctionem à parte rei nil aliud requiritur.

166. TERTIA ratio. Sequeretur, in Deo esse tres existentias, atque adeo tres durationes, quæ, quia carent principio & fine, essent æternæ. Igitur in Deo tres essent æternitates, contra Symbolum Athanasij, *Non tres æterni, sed unus æternus.*

167. QUARTA ratio, concedenda foret in Deo quarta existentia spirationis actiue, cum sit par ratio de hac, & reliquis relationibus: ac proinde non tantum tres, sed quatuor essent existentia relatiue in Deo.

168. QUINTA ratio, quod est fundamentum Vasq. & sequitur Ruiz. Non dicitur suppositum creatum habere duplicem, sed vnā dumtaxat existentiam, etiamsi præter existentiam naturæ, superaddat modum subsistendi distinctum. Ergo neque supposita increata dicenda erunt habere plures, sed vnā tantum existentiam, etiamsi supra existentiam naturæ addant triplicem modum subsistendi relatiuum: tum quia vna existentia aliam non modificat: tum quia modus existendi non affert naturæ existentiam: relatio autem diuina, teste Damasceno libr. 1. de fide capit. 11. est modus existendi: ergo.

169. SEXTA ratio. Si in Deo vna tantum esset persona, existeret eadem existentia naturæ. Ergo etiam nunc tres personæ existunt eadem existentia absolutā naturæ; cum non alio modo existant nunc tres, atque existeret nunc vna persona.

170. SEPTIMA ratio. Si darentur tres existentia relatiue in Deo, sequeretur, existentiam absolutam vltius terminari tribus existentijs relatiuis: hoc autem implicat, quia nequit vna existentia terminari alia existentia. Confirmatur, nam idē non datur subsistentia absoluta in Deo, quia sequeretur, illam vltius terminari tribus subsistentijs relatiuis.

171. OCTAUA ratio. Vel quælibet ex his tribus existentijs relatiuis est completa, vel incompleta; si completa; ergo non potest facere vnum per se cum existentia absoluta naturæ: cum nullum ens completum facere possit vnum per se cum alio ente completo: ergo facit vnum per accidens. Si verò dicatur incompleta; est indigna Deo, in quo nihil est, aut concipi potest incompletum.

172. SECUNDA sententia affirmat: est Richardi de S. Victo. libr. 4. de Trinit. cap. 17. vbi, *Quot. inquit, sunt in diuinitate personæ, tot incommunicabiles existentia, quia nihil aliud est, inquit, capit. 18. persona, quam incommunicabilis existentia.* Alensis 1. p. qu. 49. memb. 2.

Richardi in 3. dist. 1. art. 1. quæst. 2. & ad 5. Scoti in 1. dist. 11. q. 2. ad primum, quodlib. 4. art. 3. ad argumentum princip. Medina 3. p. qu. 17. art. 2. dub. 3. Zumel 1. p. qu. 28. art. 2. disp. 4. Suarez 3. p. disp. 11. sect. 2. Medina & lib. 3. de Trinit. cap. 5. Zunigæ de Trinit. disp. 5. dub. 11. Quæ sententia probabilior est & sequenda: eamque probō triplici ratione.

173. PRIMA ratio sit. Relatio diuina secundum explicitum conceptum non includit essentiam, & tamen secundum explicitum conceptum includit existentiam: igitur existentia relationis ratione distinguitur ab existentia naturæ. Consequentia patet, quia omnis existentia in Deo, aut est naturæ, aut relationis: ergo si relatio secundum explicitum conceptum relationis dicit existentiam, & non absolutam naturæ; ergo respectiuam relationis. Minor constat, quia relatio diuina secundum explicitum conceptum relationis non est ens in potentia, sed in actu vltimo & perfectissimo: omne autem ens est in actu formaliter per existentiam. Maior probatur, quia relatio diuina secundum explicitum conceptum dicit solam perfectionem respectiuam: ergo secundum explicitum conceptum non includit essentiam, eiusque existentiam.

174. DICES. Attributum sapientiæ secundum explicitum conceptum sapientiæ non includit explicitè essentiam, & tamen non sequitur quod secundum explicitum conceptum sapientiæ, non includat naturæ existentiam. Ergo nec sequitur, quod si relatio diuina secundum explicitum conceptum relationis non includit essentiam, quod nec includat eius existentiam; quia potest includere existentiam naturæ, etiamsi non includat quidditatem illius. Respondeo nego consequentiam. Ratio discriminis est, quia vt ex tertia ratione constabit, existentia debet proportionari rei, cuius est existentia. Potest autem existentia absoluta naturæ proportionari perfectioni absolutæ attributorū, non autem respectiuæ relationum.

175. SECUNDA ratio sit. Relatio diuina producit: existentia absoluta naturæ non producit: sed productio essentialiter terminatur ad rei existentiam: ergo relatio diuina existit existentia respectiuā; ratione distincta ab existentia absoluta naturæ. Maior cum consequentia elucet. Minor probatur, nam productio tradit terminum de non esse ad esse, saltem secundum illam formalitatem, secundum quam illum producit; ergo essentialiter terminatur ad existentiam rei; alioqui non traduceret illum à non esse ad esse secundum illam formalitatem, secundum quam illum produceret, sed potius supponeret illum esse secundum eandem formalitatem, secundum quam illum produceret; ac proinde supponeretur esse secundum eam formalitatem, secundum quam produceretur, antequam produceretur.

176. Respondent aduersarij primò, pro-

Richardus
de S. Vict.
Alensis.
Richardus.
Scotus.
Medina.
Zumel.
Suarez.
Zuniga.

Athanas.

Vasquez.
Ruiz.

Damascen.

ductionem diuinam terminari ad relationem, vt existentem existentia absolutam naturam. Sed contrā, quia hæc præexistit termino producendo; ergo si ad hanc terminatur productio, terminus producendus præsupponitur existere, prius quā producat; ac proinde non potest accipere existentiam vi productionis, quā producit.

177. Resp. 2. Productionem terminari ad communicandum termino producto effectum formalem existentia absolutam. Sed contrā, nam communicatio diuina supponit productionem termini; persona enim diuina communicat suam naturam personæ productæ, illam producendo; quatenus in suamet natura producit nouam personalitatem. Ergo communicatio existentia absolutæ supponit terminum productum, non tantum secundum quidditatem, vt aliqui opinantur, siquidem hæc non producit, nisi vt existens; sed etiam secundum existentiam, nam hæc est formalis terminus productionis. Igitur communicatio naturæ supponit terminum, cui talis communicatio fit, productum, atque adeo existentem vi productionis antecedentis ipsam communicationem naturæ. Confirmatur, quia vel hic effectus formalis existentia absolutæ producit, vel non producit. Si producit, igitur existentia absoluta producit. Si non producit, redit eadem difficultas, quo pacto productio realis terminari possit ad terminum, qui non existat vi eiusdem productionis.

178. TERTIA ratio fit. Existentia proportionari debet essentia & quidditati rei. Atqui existentia absoluta non proportionatur quidditati reatiuæ. Ergo. Maior constat, nam existentia est actus essentia; igitur debet illi proportionari. Minorem probo: quia sicut existentia reatiua non proportionatur essentia absolutæ, ita nec existentia absoluta essentia seu quidditati reatiuæ. Cuius ratio à priori est, quoniam existentia debet actuare essentiam iuxta ipsius exigentiam: existentia autem relationis est, vt actuatur existentia ordinata ad aliud: quemadmodum existentia rei absolutæ est, vt actuatur existentia ordinata ad se. Existentia enim debet in ratione existentia continere quidditatem quidditas ipsa continet in ratione quidditatis, cum sit adæquatus actus ipsius: sed quidditas relationis est ordinata ad aliud; ergo & eius existentia. Confirmatur. Repugnat accidens existere existentia substantia, sicut substantiam existere existentia accidentis; ergo & relationem existentia naturæ absolutæ.

S. Thomas
Barthol.
Medina.

179. Ad rationes oppositæ sententia. Ad auctoritatem S. Doctoris responder citato loco Bartholomæus Medina, illum exponendum esse, de esse essentia, vel de esse existentia absolutæ. Tamen ex citatis locis S. Thomas videatur ad oppositam sententiam magis inclinare.

180. Ad primam rationem. Nego consequentiam, nam quamuis existentia absoluta naturæ identificetur cum relationibus, adhuc

tamen relationes existunt existentia propria reatiua: quia sicut identificatio naturæ non tollit oppositionem diuinam relationum inter se; ita nec earundem relationum existentiam, quæ se mutuo actu respiciunt. Quod autem illæ non existant existentia naturæ, non est propter insufficientiam existentia naturæ, sed propter proportionem, quam habere debet quælibet existentia cum quidditate, quam actuatur.

181. Ad secundam. Nego sequelam: ad cuius probationem; nego quidditatem relationis non esse de essentia naturæ diuinæ, saltem vt est à parte rei. Natura enim diuina, vt est à parte rei formaliter includit suas relationes, & consequenter existentias reatiuas earum. Ad distinctionem autem à parte rei requiritur, vt quidditas existens vnus à parte rei excludat quidditatem existentem alterius.

182. Ad tertiam. Absque vilo absurdo in Deo concedi possunt tres existentia & durationes reatiuæ, non autem tres æternitates. Pro cuius intelligentia nota, omnia prædicta, quæ diuinis relationibus attribui possunt, esse in triplici differentia; alia, quæ illis competunt secundum proprias differentias, qualia sunt relatio, proprietates personalis, Hypostasis &c. eiusmodi. Et hæc sine addito possunt de Deo, vt plura prædicari. Alia sunt, quæ illis conueniunt solum secundum rationem genericam, cuiusmodi sunt omnia transcendentia, vt Ens, Res, Aliquid, Vnum, Verum, Bonum: inter quæ sunt etiam existentia, substantia, quidditas. Ex his aliqua sunt quæ vel ex vilitate modo loquendi Patrum, vel ex determinatione Conciliorum ad cauendas occasionem errandi, ita accommodata sunt naturæ communi, vt nullo modo liceat ea trāsferre ad relationes. Huius generis sunt substantia, essentia, & si quæ alia, quæ non nisi singulariter de Deo prædicantur. *Nec sicut tres personas*, inquit Concilium Toletanum vndecimum, *ita tres substantias prædicamus, sed vnā substantiam*. Et Concilium Lateranense in capite, *Firmiter*, tres fatetur personas, vnā tantum essentiam, substantiam, naturam. Alia sunt, quæ licet ab extrinseca auctoritate limitata non sint ad solam naturam communem, quia tamen illa ex communi modo concipiendi, & loquendi determinantur ad solam essentiam communem, vt potest ad rem perfectissimam significandam, non licet, nisi cum addito determinante ad perfectionem reatiuam, illa de Deo prædicare; qualia sunt aliqua transcendentia, vt Ens, Res, Aliquid, Vnum, Verum, Bonum, Existentia, Duratio; quæ cum addito possunt de Deo pluraliter enunciari.

183. Alia demum sunt, quæ in suo conceptu semper includunt aliquid absolutum. Atque hæc neque cum addito possunt de Deo pluraliter, nisi tantum adiectiuè, prædicari. Nam ad adiectiuam prædicationem sufficit pluralitas suppositorum. Talia sunt natura, æternitas, Sapientia, & reliqua attributa,

quæ

Concilium
Toletan. XI.
Concilium
Lateranense.

quæ in Deo dicunt perfectionem simpliciter simplicem. Est enim natura principium & fundamentum omnium operationum, quod nulla ratione competit relationi. Aternitas est interminabilis vitæ tota simul, & perfecta possessio; quæ in sui definitione includit existentiam vitæ perfectissimæ, & interminabilis. Quare licet in Deo sint tres durationes relatiuæ, non tamen sunt tres æternitates; quia æternitas inuoluit perfectionem vitæ prorsus immutabilis, quæ Deo competit ratione essentia. Nec obstat, quod duratio diuinarum relationum careat principio & fine. Nam ex hoc tantum sequitur, quod reductiuè illa sit in specie æternitatis, non autem per se: nam æternitas per se superaddit perfectionem vitæ interminabilis.

184. Nonnulli renuunt cōcedere in Deo tria entia, aut tres entitates, seu realitates, aut tria aliqua. Tum quia ens dicitur ab esse: esse autem in Deo est vnum; ergo & ens. Tum quia, si relatio esset entitas, non omnem entitatem Pater communicaret Filio: quod falsum est; nam omnem entitatem, quam habet Pater, communicat Filio. Tum quia nomina neutra referuntur ad significandam essentiam. Vnde non dicitur, in Deo est aliud & aliud, sed alius & alius. Igitur non possunt tria aliqua de Deo prædicari; quia denotaretur multiplicatio essentia. Nihilominus concedenda sunt in Deo tria entia, præsertim cum addito, relatiua, tres entitates, tres realitates, nec non tria aliqua relatiua. Tum quia hæc passim in Deo concedunt Patres. Tum quia sicut in Deo conceduntur tria esse relatiua, ita & tria entia non solum adiectiuè, sed etiam substantiuè. Tum quia implicat, tres personas realiter inter se distinguere, nisi per reales entitates distinctas. Eadem ratione probatur, esse tria aliqua, quia ens & aliquid conuertuntur.

185. Ad primam verò rationem in oppositum. Nego minorem, est enim in Deo triplex esse relatiuum, ac proinde triplex ens substantiuè. Ad secundam, Patrem communicare Filio omnem entitatem absolutam formaliter; virtualiter verò & per *circuminceffionem* etiam perfectionem relatiuam, ratione cuius *circuminceffionis*, Pater dicitur esse in Filio, & Filius in Patre, & uterque in Spiritu sancto. Ad tertiam respondeo, nomina neutra non posse prædicari de singulis personis: non enim dici potest, Pater est aliud à Filio; vel Filius aliud à Patre: posse tamen de omnibus dici, quod sint tria aliqua. Ratio discriminis est, quia applicata lingulis referuntur ad essentiam, non autem applicata omnibus simul; idque ex usu & lege sapientum.

186. Dices. Si transcendentia in Deo multiplicentur, quia intrinsecè includuntur in ipsis personis multiplicatis: ergo etiam multiplicari debet diuinitas, quia hæc etiam intrinsecè includitur in personis realiter multiplicatis. Respondeo, nego transcendentia propterea multiplicari, quia utcumque

includuntur in rebus ipsis multiplicatis, sed quia includuntur in ultimo & explicito conceptu vniuscuiusque rei. Etenim paternitas secundum explicitum, & formalissimum conceptum Paternitatis, est ens, vnum, aliquid; non tamen secundum ultimum & explicitum conceptum est diuinitas, quia diuinitas dicit fundamentum omnium diuinarum perfectionum, quod non dicit Paternitas, ut præcisa à natura.

187. Ad quartam. Concedo sequelam. Etenim cum relatio spirationis actiuæ nequeat formaliter existere existentia filiationis; tum quia hæc producitur, spiratio autem actiua non producitur, sed communicatur cum ipsa natura diuina: tum quia tota spiratio actiua supponitur existens origine prior in Patre, quam producat filius. Nec existere possit existentia Paternitatis: nam hæc est solius Patris propria: spiratio verò actiua est etiam communis filio. Nequit autem proprium, & commune existere vnâ indiuisibili existentia secundum rationem. Nam quatenus est proprium requirit existentiam propriam: quatenus est commune requirit existentiam communem: quoniam, ut dictum est, existentia proportionari debet quid dicitur, quam immediatè actuat. Nego tamen hinc sequi, dari quatuor existentias relatiuas in Deo: quoniam ad multiplicandas existentias relatiuas in Deo non sufficit distinctio rationis, sed requiritur distinctio realis.

188. Ad quintam, quæ solum est de modo loquendi, dico, eam tantum probare, absolute loquendo sine vlla limitatione & addito; vnum tantum concedendum esse in Deo *Esse*, seu *Existere*: eò quod tres illæ relatiuæ existentia eò tendunt, ut naturam in triplici hypostasi perfectissime compleant. Qua de causa vnum quoque dicitur *Existere* in quouis supposito creato, quia licet illud ex duplici ad minimum componatur existentia, scilicet naturæ, & substantia; quia tamen ambæ illæ existentia per se ordinantur ad constituendum vnum perfectum existere totale, ideo absolute loquendo vnum dicitur *Existere* in illo. Hinc tamen negari non potest, quin cum addito dici queat, in quouis supposito creato duplicem esse existentiam partialem, alteram naturæ, substantia alteram. Eadem ratione & in Deo triplex existentia relatiua, quæ tamen partiales dici nequeunt, quia cum nulla alia componunt. Non cum natura, à qua non distinguuntur, compositio autem realis realem supponit extremorum distinctionem; non inter se, quia nullam faciunt inter se compositionem. Præterea falsum est, vnā existentiam non posse aliam modificare, ut constat de existentia partiali creata, modificante aliam ad componendum vnum existere totale. Falsum quoque est, relationem diuinam esse modum naturæ, cum sit potius entitas in suo genere perfectissima; alioqui diuinæ personæ, quæ solis relationibus distinguuntur, non nisi modaliter

Patres.

daliter

Damasce.

daliter distinguerentur: nam tanta est distinctio inter extrema, quanta est distinctio ipsa rationum formalium, quibus extrema ipsa distinguuntur. Damascenus autem loquitur secundum modum concipiendi nostrum, per analogiam ad creata. Sed esto relatio diuina sit modus, adhuc tamen modus suam affert modalem existentiam re, vel ratione condistinctam ab existentia fundamenti, secundum quod modus ipse re vel ratione a fundamento distinguitur.

189. Ad sextam, Nego consequentiam. Ratio discriminis est, quia tunc illa persona esset absoluta, atque adeo apta existere. existentia naturæ; nunc autem personæ diuinæ sunt relatiuæ, proinde incapaces existere existentia absoluta naturæ.

190. Ad septimam, distingo maiorem. Sequeretur existentiam absolutam ulterius terminari existentis relatiuis in ratione existentie, nego; cum in ratione existentie natura diuina non egeat existentis relatiuis: Sequeretur ulterius terminari in ratione subsistentie, concedo; quia cum natura diuina nullam habeat subsistentiam absolutam, ut infra probabitur, ulterius postulat terminari tribus subsistentis relatiuis, ob sui fecunditatem & perfectionem. Ex his etiam patet ad confirmationem.

191. Ad octauam respondeo, quamlibet existentiam relatiuam esse completam in suo dumtaxat genere, veluti existentia relatiua paternitatis est completa in genere paternitatis, non autem in genere existentie relatiuæ filiationis, & spirationis passiuæ. Quia igitur natura ob sui fecunditatem & perfectionem, non solum est capax existentie relatiuæ paternitatis, sed filiationis, & spirationis passiuæ, postulat omnes tres existentias, tanquam adæquatum terminum suæ fecunditatis. Vnde neutrum absurdum in argumento adductum ex nostra sententia sequitur. Non primum, quia licet vnaquæque existentia relatiua sit in suo genere completa, quia tamen non est completa in omni genere relatiuæ existentie, potest in natura, cum qua identificatur, relinquere capacitatem ad ulteriorem existentiam relatiuam, cuius natura diuina est capax. Non secundum, cum vnaquæque existentia relatiua sit in suo genere completa: neque vna exigit habere complementum alterius, cum vna non exigit formaliter existere per existentiam alterius.

SECTIO VIII.

An Relationes diuinae superaddant existentie perfectionem ratione diuersam?

Scotus.
Richardus.

192. **P** R I M A sententia negat. Est Scoti quodlib. 5. Richardi in 1. dist. 24.

art. 1. q. 3. ad 1. Mayroni dist. 20. q. 1. in fine, Durandi in 3. dist. 1. q. 3. num. 13. Ariminensis in 1. dist. 19. ar. 1. Capreoli dist. 17. q. 1. ad 3. contra primam conclus. Egidij dist. 4. art. 1. ad 1. Caietani 1. p. q. 28. ar. 2. in fine, Ferrariensis 2. contra gent. cap. 9. Molinæ 1. p. q. 42. art. 6. disp. 2. qui omnes auctores concludunt, relationes diuinas neque perfectionem dicere, neque imperfectionem, sed abstrahere ab utroque.

193. Probat 1. Si relatio diuina, quæ relatio est formaliter, perfectionem diceret, vel diceret finitam, vel infinitam: non finitam, quia implicat in Deo perfectio finita & limitata; non infinitam, quia de ratione perfectionis infinitæ est, ut sit implurificabilis, & communicabilis: atqui relatio diuina est plurificabilis, & incommunicabilis: ergo non dicit perfectionem infinitam. Maior probatur, quia de ratione infinitæ perfecti est, ut nullam perfectionem excludat: ergo de ratione infinitæ perfectionis est, ut sit implurificabilis & communicabilis. Nam hoc ipso quod vna perfectio plurificaretur, excluderet aliā.

194. Secundò. Si paternitas ut paternitas diceret perfectionem, cum paternitas non sit formaliter in Filio, aliqua perfectio esset in Patre, quæ non esset in Filio; atque adeo plus perfectionis esset in omnibus personis simul, quam in singulis contra Augustinum 6. de Trinit. c. 7. 8. & 10. vbi docet, tantum esse Patrem solum, vel Filium solum, vel Spiritum sanctum solum, quantus Pater, Filius, & Spiritus simul. In summa, inquit, Trinitate tantum est vna, quantum tres simul sunt: nec plus aliquid sunt due, quam vna.

195. Tertiò sequeretur, in Deo esse tres perfectiones, ac proinde tria perfecta subsistentiæ, quia quidquid conuenit Deo ratione relationum, potest pluraliter, & subsistentiæ de Deo prædicari.

196. Quartò sequeretur, vnam personam esse perfectiorem alia; quia cum tres istæ perfectiones non sint eiusdem, sed diuersæ speciei, nequeunt personæ, ex illis constitutæ, æqualis esse perfectionis.

197. Quintò. Perfectio ex Anselmo dicitur illa, quæ in vnoquoque melior est ipsa, quam oppositum eius, sed Filio non est melior paternitas, quam filiatio, & è conuerso; alioqui aliqua perfectio deesset Patri, & Filio, quam melius esset in eis esse, quam non esse: quod derogat personæ diuinæ.

198. SECUNDA sententia affirmat. Est Aureoli in 1. dist. 19. p. 2. art. 3. propos. 2. Ochami q. 1. ad 1. dub. Baconi dist. 23. q. 1. art. 1. §. 2. & art. 3. & in 3. dist. 1. q. 1. ar. 2. §. 2. Gabrielis in 1. dist. 7. q. 3. ar. 3. & dist. 19. q. 1. notabili 4. & dubit. 5. Bannez 1. p. q. 28. art. 2. dub. 1. Zumel ibid. disp. 3. Vasquez disp. 122. cap. 6. Suarez lib. 3. de Trinit. cap. 9. Albertini ex prædicamento Ad aliquid corol. 1. Zunigæ de Trinit. disp. 5. dub. 5. memb. 2. Quæ sententia verior est. Pro cuius explicatione,

199. DICO 1. Relationes diuinæ, etiam quæ rela-

Mayronus.
Durandus.
Ariminensis.
Capreolus.
Egidius.
Caietanus.
Ferrariensis.
Molina.

Augustin.

Anselmus.

Aureolus.
Ochamus.
Baconus.
Gabriel.
Bannez.
Zumel.
Vasquez.
Suarez.
Albertin.
Zuniga.